



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 97. Expeditio bellica Henrici IV. Galliarum Regis in Italia & Germania.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

tor in sua ad Ferdinandum Alberum in Germania Superiori Provinciale epistola his verbis exposuit: *Objicitur etiam Transylvania, quasi nostra culpa inde ejecti sumus; de quo quidem fuit hic Romæ aliquis rumor, ut solet, nostros ideo expulsos, quia deprehensi essent, velle regnum tradere Principibus externis. Certe hæretici ipsi, cum in comitiis illis omnia contra nos inquirerent, de hoc quidem nec verbum fecerunt, sed de sola fidei causa, Et quod nimis promoveremus Pontificis auctoritatem, ad quod confirmandum protulisse ajunt orationem ab uno e nostris habitam in funere Gregorii. Quin etiam ipse Princeps Transylvaniæ in ipso nostrorum discessu honorificum iis diploma dedit, quo testimonium ferebat de eorum virtute, Et integritate, ejusque testimoniû exemplum apud nos est. Hæc R. Vestræ exponere volui, ut ipsa sciret, Et ut rationem reddere posset, cum res postularet. Ceterum hæc apud se secreta servet, nisi ubi viderit opus esse; nostris enim non est, cur communicentur.*

Sæc. XVII.
A. C. 1610.

§. XCVII.

Expeditio bellica Henrici IV. Galliarum Regis in Italia Et Germania.

Interim Henricus IV. Galliarum Rex Majestatis suæ gloriam, Regnique fines latius protendendi cupiditate ac

Nicol. Rigault Suite de l'hist. de Thou l. 3. Hist. Eccles. Tom. LIV. li cen-pag. 278.

Sæc. XVII. census, ex æmulis suis præcipuos, Ru-
 A. C. 1610. dolphum Cæsarem, & Philippum III.

Hispaniæ Regem propriis & foederato-
 rum armis impetendi consilia dudum
 volutabat. Hanc in rem per Boissium
 Oratorem suum Foederatis Protestanti-
 bus Hallæ congregatis exponebat, quod
 nunquam securi essent, quamdiu Im-
 perii Romani dignitas penes Domum
 Austriacam foret, quam tamen hoc dia-
 demate spoliare haud possent, quamdiu
 Hispaniæ Rex & Belgii Archiduces tam
 validas in Italia & Germania urbes pos-
 sessuri essent, quarum ope omnes Ele-
 ctiores coercere, atque in unionis Evan-
 gelicæ odium Juliacensem Ducatum &
 Foederatorum Principum ditones in-
 vadere valerent: Satagerent itaque Im-
 perium ad aliam devolvere domum,
 ipse vero Rex sub obtentu Juliacensis
 dissidii urbes ad Mosam sitas Hispano
 & Archiducibus erepturus, ipsum etiam
 Angliæ Regem ad armorum societatem
 sollicitaturus esset. Præterea Sabau-
 diæ Ducem proposito inter Regis Filiam
 & Ducis Filium connubio plectum sol-
 licitabat, ut in Italia Hispaniæ Regem
 bello premeret, suas ei adjuncturus
 copias.